

Voluntas
est aliquid
obiectum
naturale.

in omnibus ea, quæ non per se sunt, reducuntur in aliquid, quod per se, inest tanquam in primum. Hinc ita accipiendæ naturæ, oportet, quod semper Principium in his, quæ conveniunt rei, sit naturæ, quemadmodum principia intellectualis cognitionis sunt naturaliter nota. Similiter principium motum voluntariorum, oportet esse aliquid naturaliter voluntatum. Hoc autem est bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit, sicut & qualibet potentia in suum obiectum, vltimus quoque finis, qui se sic habet in appetibilibus, vt prima principia demonstrationum in intelligibilibus: & vniuersaliter omnia, quæ conveniant volenti secundum suam naturam. Non enim per voluntatem appetimus solum ea, quæ pertinent ad potentiam voluntatis, sed & ea, quæ conveniant potentis alijs, vt cognitione veri, & esse ac viuere, & consilia, quæ consistunt respicienti naturalem, quæ omnia comprehenduntur sub voluntatis obiecto, velut quædam particularia bona. Consequenter ad aliam questionem respondet: Voluntas mouetur dupliciter. Vno modo, quantum ad exercitium actus, & sic a nullo obiecto ex necessitate mouet. Potest enim, quis de quocunque obiecto non cogitare, & per consequens, illud non velle. Alio modo quantum ad actus specificationem, quæ est ex obiecto, sicque ab aliquo obiecto de necessitate mouetur, & ab aliquo non. In motu namque cuiuslibet potentie a suo obiecto, consideranda est ratio, per quam obiectum mouet potentiam, sicut visibile mouet visum sub ratione coloris actu visibilibus. Vnde si color visui proponatur, ex necessitate mouet visum, nisi quis visum auertat, quod spectat ad exercitium actus. Si autem aliquid proponeretur visui, quod non omnibus modis esset color in actu, sed secundum aliquid esse tale, & secundum aliquid non tale, non ex necessitate visus tale obiectum videt, intendendo in illud secundum id quo non est coloratum in actu, quemadmodum autem coloratum, est visus obiectum, sic bonum, obiectum est voluntatis. Hinc si proponatur aliquod obiectum voluntati, quod sit vniuersaliter bonum, & secundum omnem considerationem, voluntas ex necessitate in illud tendet, si aliquid vult. Non enim potest velle oppositum. Si autem proponatur sibi aliquid obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas ferretur in illud, quia defectus cuiuscunque boni habet rationem non boni. Ideo solum illud bonum, quod est perfectum, & cui nil deest, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem qualibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona: sicque repudiari a voluntate, quæ potest in idem diuersimodè ferri secundum diuersas considerationes. sicque finis vltimus ex necessitate mouet voluntatem, quoniam finis ille est bonum perfectum. Conformiter illa, quæ ordinantur in hunc finem, sine quibus finis iste haberi non valet, vt esse, viuere, intelligere, atque similia. Cætera vero sine quibus finis potest haberi, non necessario vult, qui vult finem. Hæc Thomas in Summa.

art. 3.

Beatitudo
dupliciter
mouetur.

In qua etiam, quinta questione, ad questionem qua querit, an omnes beatitudinem appetunt, sic respondet: Beatitudo dupliciter potest considerari. Primo secundum communem beatitudinis rationem, sicque necesse est, vt omnis homo beatitudinem velit. Ratio autem beatitudinis communis, est quod sit bonum perfectum. Cumque bonum sit

voluntatis obiectum, perfectum alicuius bonum est, quod voluntati eius totaliter satisficit. Hinc beatitudinem appetere non est aliud, quam optare, vt voluntas faciat, quod quilibet vult. Alio modo possumus loqui de beatitudine secundum speciale rationem, quantum ad id, in quo beatitudo consistit: & sic non omnes cognoscunt beatitudinem, quia ignorant cui communi ratio beatitudinis competat: & per consequens, quo ad hoc, nec omnes eam volunt, aut cupiunt.

Insuper, ad questionem eandem super quartum magistralius respondens, differuit: In omni ordine mobilium, & motorum, oportet secundos motores ordinari in finem primi motoris, per dispositionem eis a primo motore impressam, & patet, cum anima seu voluntas, mouet manum, vt manus baculum, qui percudit, quod est finis a voluntate intentus, manus ac baculus tendunt ad finem a voluntate intentum, per hoc quod voluntas imprimit eis mediatè, vel immediatè. Sed hoc distat inter motus naturales, & violentos, quod in motibus violentis impressio relicta a primo motore in secundis motoribus, est eis præter naturam. Hinc operatio consequens ex tali impressione, est eis difficilis, & laboriosa. In motibus autem naturalibus impressio relicta in secundis motoribus a primo motore, est eis conueniens, & suauius. Propter quod dicitur a Sapiente, quod Deus omnia sua iuste disponit, quoniam vnaquæque res ex natura sibi diuinitus indita, tendit in illud, ad quod per diuinam prouidentiam ordinatur secundum exigentiam impressionis receptæ. Et quoniam cuncta a Deo procedunt, in quantum bonus est, prout Dionysius, & Augustinus affirmant; hinc omnia creata secundum impressionem a Deo creatore receptam inclinantur ad bonum appetendum secundum modum suum, vt sic in rebus circulatio quædam inueniatur, dum a bono egredientes, reuertuntur, aut tendunt in illud. Denique, circulatio ista in intellectualibus creaturis per se fit, quæ cognoscunt, & amando summum bonum attingere queunt, in quo consistit eorum felicitas. In cæteris, vero manet imperfecta, quia non ad ipsum creatorem, sed ad aliqualem eius similitudinem, aut participationem attingunt, vt in irrationalia. Ideo sicut qualibet res alia naturaliter appetit suum bonum, ita qualibet rationalis creatura naturaliter cupit felicitatem. Hinc Augustinus 13, de trinitate testatur, quod si minus de quo ibi loquitur dixisset, omnes vultus esse beati, non miseris, dixeret aliquid, quod si minus, omnes in sua voluntate, sic esse non iussent. Boethius quoque libro tertio, de consolatione, probat, quod mentibus omnium hominum veri boni cupiditas naturaliter est inserta. Verum autem bonum vocat beatitudinem. Præterea Thomas super quartum, distinctione 48, soluendo questionem, an deitas possit videri a malis sine gaudio, ait: In quolibet appetibili, seu delectabili, duo possunt considerari, videlicet id, quod appetitur, seu delectabile est, & ratio appetibilitatis, vel delectabilitatis. Quemadmodum autem secundum Boethium in libro de hebdomadibus id quod est, habere aliquid potest præter id, quod est, ipsum vero esse nil aliud præter se habet admixtum: ita id quod est appetibile, vel delectabile, aliquid aliud potest habere admixtum, vnde non sit delectabile, seu appetibile, sed id, quod est ratio appetibilitatis, vel delectabilitatis, nil habet nec habere potest admixtum, unde non sit appetibile, aut delectabile. Res ergo, quæ sunt delectabiles, per participationem boni-

Motus naturalis, ac violentus difficultatis, laboriosus.

Sap. 8.

S. Dionysius, Augusti.

Augusti.

Boethius

q. 2. Tho.

In appetibili duo considerantur.

Boethius Deitas sine gaudio non videtur.